

**Disputatio medica, de catarrho quam Deo Ter Optimo maximo adiuvante
permissu atque autoritate amplissimi Collegij Medici / sub praesidio
clarissimi experientissimi viri Dn. Johannis Ludovici Moeglingi
Heidelbergensis, ... publico examini subjicit Joh. Casparus Wegelinus,
Augusta-Vindelicus. Ad diem [blank] Julij, hora locoque consuetis.**

Contributors

Wegelin, Johann Caspar.
Mögling, Johann Ludwig, active 1608-1655.

Publication/Creation

Tubingae : Ex officina typographica Eberhardi Wildii, [1625?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/q87zydem>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

De

CATARRHO

QVAM

DEO TER OPTIMO

MAXIMO

Adiuvante

PERMISSV ATQVE AVTHORITATE AMPLISSIMI

Collegij Medici

SVB PRÆSIDIO

Clarissimi Experientissimi Viri Dn.

JOHANNIS LUDOVICI

MOEGLINGI HEIDELBER-

GENSIS, MEDICINÆ DOCTORIS, ET E-

jusdem in celeberrima Tubingensi Academia Pro-
fessoris Ordinarii, Dn. Præceptoris sui sum-
ma observantia colen-
dissimi,

PVBLICO EXAMINI SVBIICIT

JOH. CASPARUS WEGELINUS,


Augusta-Vindelicus.

Ad diem Julij, hora locoque consuetis.

•S(*,*)S•

T V B I N G Æ,

Ex Officina Typographica EBERHARDI WILDII



Viris

NOBILITATE, VIRTUTE,
MULTARUMQUE RERUM USU GRAVIS-
simis, Amplissimis, Præstantis-
simis

Dn. JOHANNI }
Dn. DANIELI } *Oesterreichern/ Fratri-*
Dn. JONÆ } *bus Germanis.*

Dominis Mæcenatibus, Patronis & Fau-
toribus suis sanctè colendis & venerandis.

Disputationem hanc Medicam

In animi observantis, & acceptorum beneficiorum
memoris σίμβολον

dicat

atque consecrat

JOH. CASPAR WEGE-
linus A. & R.

Thesis Prima.



Κατάρρα & contractè κατάρρα & πύμα vel περιστασιμὸς, item καταρραγμὸς Græcis, Latinis itidem servato vocabulo græco, Catarrhus, defluxus & destillatio, generalissima significatione, omnem è quacunq; in quamcunque corporis partem prolapsam significat.

II.

Contracta nimis significatione, eum tantum, qui in palati & oris vicinasq; partes delabitur humor, destillatio dicitur, 3. aph. 12.

III.

Nos hoc in loco propriè catarrhum dictum volumus, illum humorem excrementitium pituitosum, qui è capite ad subjectas corporis partes destillat, quem sic definimus.

IV.

Catarrhus est humoris excrementitii pituitosi, ad subjectas corporis partes, ob vitiatam cerebri concoctionem, præter naturalis prolapsus. Hipp. l. de gland. & lib. de lo. in homine.

V.

Morbus tamen non est catarrhus, nisi latiore significatione, sicuti auctor finit. Medicar. morbum dicit esse habitum ægritudinarium corporis vel totius vel partis, ita ut res omnes præter naturam tam symptomata & causam morbificam, quam morbum ipsum comprehendat; Sed inter symptomata ex euntis mutati ab omnibus meritò refertur.

VI.

Quia vero inter species motus collocatur catarrhus, eadem profectò quæ in aliis localibus motibus ad eorundem naturam agnoscendum considerantur, in hoc quoq; defluxionis motu contemplanda nobis erunt.

VII.

Ad absolutam autem omnium, quæ secundum locum moventur, cognitionem, hæc quinque præcipue observantur. Mobile, quod movetur: Principiū, quod movet: Terminus à quo incipit motus: Terminus ad quem tendit motus & spatium per quod defertur motus.

VIII.

Mobile s. materia est humor excrementitius pituitosus, isq; aut calidus per accidens, aut frigidus per se semper, crassus vel tenuis, dulcis vel insipidus, vel acris, vel acidus, vel salsus, vel simplex vel compositus, vel spumofus vel peculiariter corruptus.

IX.

Cerebrum enim cum suâ naturâ frigidum & humidum sit, laxum & amplum, reliquoq; corpori cucurbitæ instar incumbat, pituitosa & cruda congerit corrumpitq; excrementa, eaq; varia pro diversitate majoris minorisve refrigerationis & cætera, testante Platone in Thimæo, qui omniū à capite fluxionum pituitam vel acidam, vel salsam, vel insipidam (intellige & aliam quamcunq; corruptam) esse affirmat, & *Ar. l. 2. de par. an.* hisce verbis. Fluxiones etiam ob eam rem ex capite oriuntur in iis corporibus, quibus cerebrum frigidius est, quam temperamentum modicum postulet: cū enim alimentum per venas sursum respicit, ubi excrementum ob ejus loci vim refrigeratum est, fluxiones pituitæ, sanieiq; movent, & quæ sequuntur. Ne huic sententiæ contradicit. *Hipp. l. 2. de mor. n. 1. n. 11. l. de vict. ra. n. 39. l. de mor. sa. lib. de gland.* aliisque locis plurimis.

X.

Licet quidem excrementitii hujus humoris, pro alimenti & humorum copia, qui à partibus inferioribus ad caput mittuntur, magna sit diversitas, dum interdum nulla insigni qualitate præditus est, & saltem copia peccare videtur; nonnunquam etiam qualitatem alienam habet, & vel frigidus est vel calidus, salsus, acris, gravè olens, nonnunquam etiam corruptus & substantiâ peccans, unde catarrhi epidemii & contagiosi ortū habent, qualis fuit qui anno 1557. & 1580. grassatus est, de quo Mercatus *l. 2. pract. c. 1. & Clariss. Sen. l. 4. de febr. c. 15.* Tamen omnis humor ille excrementitius è capite destillans pituita nominatur, cum peculiarem in capite & cerebro alterationem accipiat. Ut enim reliquæ partes, sic & cerebrum habet innatam & propriam vim, non solum alimentum assumptum coquendi & sibi assimilandi: sed excrementum peculiari modo alterandi.

XI.

Colligitur autem hæc materia in capite, ob facultatem cerebri, quæ moderato aliâs calore perficitur, labefactatam vel primariò vel per consensum.

XII.

Extus quidem à sex rebus non naturalibus dictis, quæ vel intemperiem cerebri, vel repletionem vel imbecillitatē vel aliud quid inducere possunt: ut sunt aeris constitutio austrina, aquilonaris, autumnalis, uda & pluviosa; soli proprietates, conclavia ac loca palustria, cavernosa, fumo carbonū, metallorum, mineralium infecta. Cibi mali & crassi succi, difficilisq; cōcoctionis; medicamenta vel aromata vaporosa, ut cæpæ, allia, sinapi, eruca, & quod hoc nomine infame habetur apium: Carnes omnes annosæ & duræ, caseus vetus, lacticia & quæ ex his parantur; oleum & fructus oleosi, juglandes, avellanæ & olivæ. Idem facit odor gravis sive bonus sive malus, ac peculiariter quidem violarum & rosarum. Vina generosa & acria immoderatè hausta: Somnus nimius & maximè pomeridianus. Motus nimii violentique: Mœstitia: Mensium hæmorrhoidumq; retentio & hujuscemodi alia ferè infinita.

XIII.

Intus autem ab insigni aliqua cerebri ad calidum, frigidum aut humidum spectans intemperie, sive sola ea sit, sive conjugata: partium & membrorum societate, robore, aut imbecillitate: repletionem multa cacochymica & plethorica: vel cordis denique, ventriculi, lienis, epatis, renum & uteri mala constitutione.

XIV.

Principium mobile deorsum movens triplex est; unum internum, duo externa, attrahens unum, expellens alterum. Unumquodq; enim quod secundum locum movetur, ut 7. Phys. refert Philosophus, aut ab interno movetur principio, aut ab externo.

XV.

Internum consistit partim in ipso humore mobili, qui suapte naturâ propriiq; ponderis impulsu, remoto prohibente in partes subiectas irruit & incumbit. Partim in expultrice cerebri, quæ vel materiæ copia gravatur, vel qualitatis pravitate irritatur, vel copia & qualitate simul oneratur & laceffitur.

XVI.

Quæ ab externo principio præter naturam moventur, duas supremas obtinent differentias. Impulsionis scilicet & tractionis.

XVII.

Trahuntur autem à cerebro deorsum humores trifariam à partibus fluxionem suscipientibus, similitudinis ratione, caloris vi, dolorisq; injuria.

XVIII.

Expellunt extrinsecus adhibita; æstus colliquefaciens & quicquid resolvendi vim habet; cujusmodi sunt radii solares, & omnino aer calidus, potio vini nobilioris, frictiones intempestivæ capitis cum pannis calidis, crebrior calidorum usus, motus animi & corporis vehementes coopertura capitis.

XIX.

Vel frigus constringens, & alia quibus comprimendi ac condensandi externas capitis partes facultas inest, ita ut materia (quæ alias per insensilem transpirationem dissipata fuisset) ab immoderato nivis aut aquæ gelidioris appulsu, aut aeris hyemalis frigore, spongiæ instar manu compressæ valenter exprimatur.

XX.

Terminus à quo s. fons & origo fluxionis est ipsum caput; non quidem solum cerebrum, aut ejus ventriculi: sed partes in super capitis externæ cutis scilicet in occipitio longè crassissima, eoq; nomine interiorum exhalationum minus pervia.

XXI.

Hinc in omnes corporis partes, per meatus tanquam canales quosdam, quos ad septem fontes reduxit, Hipp. lib. de gland. defertur catarrhus, per oculos videlicet, per aures, per nares, per palatum in guttur & in gulam, per venas in spinalem medullam & in sanguinem.

XXII.

Si ergo irruerit in oculos, chymosim, ophthalmiam, pterygia, ulcera, dilatationem pupillæ, iussiones, oculi expressionem, strabismum, paralyin, nyctalopen, cæcitatem aliaq; in his mala excitabit.

XXIII.

Si ad aures fuerit præcipitatus fluxus, dolores aurium efficiet, auditus hebetudinem, ulceraque tinnitum & surditatem.

XXIV.

Si ad nares irruerit, gravedinem, ozænas, pustulas aut polypum creabit.

XXV.

Si in palatum destillârit catarrhum sic propriè dictum gignet, qui diversorum existit morborum causa, prout vel partes in faucibus collocatas affecerit, vel inde aut per œsophagum aut laryngem & asperam arteriam in

XXVI.

Si gurgulionem invaserit, aut glandulas quæ utrinq; ad finem faucium adjacent, aut motu linguæ inservientes nervulos, uvulam inducet & columellam, antiadas linguæque paralyfin.

XXVII.

Si in faucibus laterotenus per laryngem & asperam arteriam delabendo, hujus membranas imbutas laxarit aut exasperarit, bronchum & raucedinem pariet.

XXVIII.

Si confestim & affatim in cavitatem asperæ arteriæ irruerit, & spirituum meatum impediverit, irritabit tussim.

XXIX.

Si in pulmonis bronchia atque canales sese infarferit, eaque oppleverit aut obturarit, asthma, dyspnæam atque orthopnæam excitabit, quam vulgo nominant catarrhum suffocativum.

XXX.

Si acredine & fæsedine pulmones eroderit atq; exulcerarit causa erit veræ phthisis, quæ est ulcus & frequentissimè ab acribus & salis catarrhis excitatur, totumque corpus hectico calore absument & emaciat.

XXXI.

Si ad musculos pectoris dispersus fuerit catarrhus, aut collectus ad membranam succingentem costas, gignet empyemata & pleuritidem.

XXXII.

Si ex faucibus per œsophagum fuerit delapsus in ventriculum, imbuet & laxabit cum osculum ejus superius, in quo & sensum hebetabit, tum reliquum corpus & calorem nativum obtundet. Inde sequuntur *ἄνοξα*, nauſeæ, fastidia cibi, *ἀπεψία*, *δυσπεψία*, &c. Et ex permixtione magna catarrhorum cū cibis affectiones cæliacæ, quæ vulgo nominantur cibales fluxus; si intestina lubricarint & lævigarint, sequentur lientericæ & diarrhææ; si acredine eroderint intestina, orientur dysentericæ; si lentore ac visciditate obstruxerint atq; copia, in gracilibus intestinis ileon; in crassioribus colica pathemata ciebunt, si rectum intestinum affecerint tenasimum inducent & arrosione rhagadenem.

XXXIII.

Si ad venas catarrhi refluxerint, si quidem frigidi, crudi fuerint, sanguinem refrigerabunt & epar, totumq; corpus implebunt crudis humoribus. Unde coechyria & tandem encephalæ existit, vel obstructions putrescunt.

& causa erunt febrium quotidianarum, & robore naturæ excussi ad extrema vel corporis vel articularum patient tumores *bidipulwides* & flatulētos.

XXXIV.

Si calidi acres fuerint humores in venis, & epar præter naturam calefaciunt, & vel putrescent in venis, fientq; causa febrium, vel continuarum, vel periodicarum: vel non putrescent, sed robore naturæ extrusi ad extrema corporis vel articularum in tumores erumpent præter naturam calidos & dolores ciebut arthriticos, podagricos, chiragricos,

XXXV.

Si catarrhorum defluxio ad nervos, spinalem medullam, & quæ hanc muniunt vertebrae sese converterit, siquidem in nervis aut spinali medulla hæserit, paralyfis, spasmus, tremores, stupores gignuntur: si in vertebrarum juncturis constiterit, arthriticos dolores inferet.

XXXVI.

Si ex nervis in ipsos eruperit musculos, aut ex venis & hos tumefaciet cum dolore, & motus eorum impedit, inde eveniet, ut sæpè tota membra vix moveri queant, ægrè circumagatur collum, difficulter attollantur brachia, &c.

XXXVII.

Differentias catarrhi, quas vel ultro suppeditat humor quantitate & qualitate excedens: vel subjectum in quod illabitur; vel causa efficiens, ex dictis jam colligere non est difficile.

XXXVIII.

Cum vero Medicus causas per signa cognoscat, & de causis actum sit hætenus, ad signa jam nobis est descendendum, quæ duplicia, dignostica & prognostica.

XXXIX.

Licet quidem signorum magnus sese offerat campus, nos tamen brevitati studentes, præcipuam illorum seriem, & quæ Medico imprimis cognitu necessaria sunt, sequentibus thesibus includemus.

XL.

Signa imminentis destillationis sunt, totius repletio, capitis gravitas, somnolentia, sensuum sensoriorumq; languor & inertia, narium distensio, irrigatio palati perpetua: dolor item capitis externus, & qui contactu, præsertim in versis capillis exacuitur: tumor œdematosus interdū, ut cera mollis, cuti maximè ad occipitium subjectus, cutis densitas, nec calvæ propius adhærens, turgida facies.

XLI.

Signa incipientis destillationis sunt titillationis vel mordicationis sensus in naribus aut faucibus, nonnunquam etiam motus cuiusdam velutiæ quæ aut alterius rei percipitur, quam ipsi ægri exprimere nequeunt.

XLII.

Signa præsentis jam facilè sensibus percipiuntur, ægrique relatione innotescunt.

XLIII.

Qualis aut materia sit cognoscitur à substantiæ ejus & qualitate aliisque circumstantiis. Si n. frigida fuerit, tum ex quantitate excrementorum quæ major erit, tum ex qualitate, quæ frigida, insipida minimeq; mordax est, cognosci potest. Facies livescit, frons atq; caput undiq; distenditur, & meatus quos Ethmoides vocantur, clauduntur, ne deorsum vox per nares transmeet ut inquit Paulus. Frigida præcessit victus ratio, temperamentum potissimum cerebri frigidum, ac ætas, tempus anni, regio, ac aeris constitutio frigida & aquilonia.

XLIV.

Si calida fuerit, acris & salsa, rubent oculi, nasus & facies, aderunt pruritus, sternutationes, ulcera, nonnunquam etiam febres, ad tactum sæpè caput æstuans percipitur, juvant frigida nocent calida, præsertim si ætas, temperamentum, habitus corporis, aeris constitutio, victus ratio consentient.

XLV.

Urina quoq; hinc inspicienda venit, quæ si tenuis & ruffa cum ejusdem coloris circulo desuper granuloso appareat, calidam utiq; testabitur materiam. Si verò tenuis & pallida cum granuloso circulo, vel loco circuli spuma alba per granula divisa adsit, frigidum ostendit humorem.

XLVI.

Crudum crassum, glutinosum, viscosum & inobedientem humorem indicant, urinæ albæ, tenues, spumosæ aut turbidæ, tusses siccæ aut sine sputo, quia scilicet ad eò annulis & parietibus meatuum asperæ arteriæ adheret, ut vix nisi magno & repentino impulsu inde evelli possit, quemadmodum Gal. 2. de sympt. caus. 4. 3. de rat. vi. co. 2. & 1. prog. co. 99. exponit.

XLVII.

Tenuis cognoscitur ex eo dum expuitur, quod labilis sit, & fluens; at è diverso crassus in globum vertitur, & in se permanens non fluit. Ex velocitate quoq; fluxus alterum distinguens indicium sumitur. Nam si velociter fluat,

ter fluat, & præsertim ad partes distantes, ut puta ad pulmonis vias angustas, subito suffocans, subtilis existit; si verò tardè, crassus judicatur.

XLVIII.

Idiopathicum dijudicabimus ex antegressa atq; innata totius capitis debilitate, solitaria ejus affectione, aliorum membrorum incolumitate, defluxu minus interpolato. Sympathicum vero ex illorum contrariis, integritate capitis congenita & usitata, aliorum membrorum alteratione prævia & decursu interrupto.

XLIX.

Signa complicati catarrhi ex calida excitante causa, & frigida stillante materia, seu è contra ex frigida causa & calida fluente materia sunt complicata signa; calidam quædam concitantem causam ostendentia, & quædam frigidam fluentem materiam declarantia, aut è contrariò frigidam promoventem causam significantia, & calidam aliqua attestantia materiam.

L.

Quò ad Prognostica. Hoc malum minimè est contemnendum, ut Celsus ait, dum enim est confirmatum, haud ita facilè occurri potest: sequuntur enim plerūq; morbi diuturni, quâdoque lethales. Difficilis autem redditur cura, & augetur periculum pro magnitudine peccati. v. g. si tenuis nimis, crassus & viscidus, mali saporis, ingrati odoris, praviq; coloris existat, si majori cum violentia expellatur, ad partes nobiliores feratur ab iisdemq; suscipiatur. Sic si laborans fuerit senex, imbecillis viribus. Hinc aph. ille, de stillationes & gravedines in senibus coctionem vix admittunt.

LI.

Cura catarrhorum præter convenientem sex rerum non naturalium moderationem, quinque intentionibus perficitur. Prima est æquabilitas & rectificatio materiæ. Si enim calidus est aut frigidus catarrhus, emendatur frigefacientibus & calefacientibus: si tenuis nimis aut subtilis incrassantibus: si corrodens, putridus aut virulentus, acrimoniam aut malignitatem obtundentibus: si crassus aut tenax, attenuantibus, incidentibus aut detergentibus. Altera intentio est materiæ evacuatio. & Tertia si in motu est, aut adhuc in viis fertur, ejus interceptio, aut ad loca distantia revulsio: si vero jam influxit derivatio. Quarta sanatio est, & in integrum restitutio membri mittentis. Ultima corroboratio, confortatioque recipientis.

LII.

Cum autem in omni catarrho magna ex parte sit geminata fluxio, qua ceu ripæ instar affluunt refluantq; humores, universalis evacuatio præmittenda erit, curandumq; ut ventriculo & toto corpore expurgato, quàm minimum cerebro communicetur.

LIII.

Si itaq; plenitudinis notæ appareant, aut caput totumq; corpus multo sanguine æstuet, viresq; permittant, omnium primò venæ sectio (præmissa tamen clystere aut leni pharmaco) adhibenda.

LIV.

Mittendus autem sanguis pro majore minoreve redundantia, copiosior parcior, habita imprimis virium ratione, non respiciendo ad dierum numerum monente Gal. 9. Meth. c. 5. & 4. acut. com. 76. exemplo Hippo. in Hist. Anaxionis. 3. in 3. Epi. T. 81. neque etiam ad diei horam. Nunquam non enim cum resurget integrum id erit.

LV.

Viribus tamen infirmioribus, aut alia causa impedita V. S. cucurbitulas vel hirudines, de consilio Avicennæ, non dorso, sed occipiti applicandas esse censemus.

LVI.

Hinc ad purgationem accedendum quæ ut commodius instituat, corpus ad evacuationem præparandum, secundum illud Hipp. 2. aph. 9. Corpora si quis purgare voluerit, oportet fluida reddere; calida quidem frigidis, ut sunt decoct. nymph. cichor. acria in crassantibus. ut syr. de papavere, cū diatrag. frig. diacodio simplici. Frigida verò crassa & tenacia, calidis attenuantibus, qualia sunt, mel rosarum, oxymel simplex & similia.

LVII.

Deinde purgatio instituat, in calido quidè rheumate, cassiâ fistula aut manna dissoluta in decocto fructuum, prunorum, jujubarum, &c. aut in syrupo rosato solutivo. In frigido vero pill. de hiera simpl. hiera cum agar. Arabicis, cochiis & similibus. Vel sit potiuncula talis & Elect. Hamech, Ind. majus an. ʒij Syr. de polypod. ʒj. stæchad. betoni. an. ʒvj Decoct. flor. & fruct. ʒij vel q. s. ad dissolvendum, misce f. potio.

LVIII.

Inter chymica & metallica commendatur antimonium, & quæ ex eo fiunt vitrum, flores, crocus metallorum, & hinc facta aqua benedicta Rulandi & mercurius vitæ, in sympathico catarrho præcipuè.

LIX.

Verum quidem sunt ista præstantia & efficacia medicamenta, quibus sæpius radices mali extirpatæ sunt; ast si negligenter præparentur, aut ab iis quibus non conveniunt, & absque ratione exhibeantur, & vitæ

☿ mortis, aut ♀ vitæ æternæ evadit. Laudatur & spr. tartar. sulph. vitrioli & similia.

LX.

Administrata totius evacuatione, capitis plenitudo caput purgiis h. e. errhinis, apophlegmatismis & gargarismis, sed præmissa coctione & præparatione vacuanda restat.

LXI.

Fiant itaque in catarrho frigido errhina, ex succo betæ, rad. ireos, rutæ, majoranæ an. ziiij misceantur, & fiat errhinon cujus portio ventriculo jejuno in nares attrahatur. Validius erit medicamentum, si succi cyclaminis ziiij. pip. alb. & nigellæ an. ℥j addideris.

LXII.

Succus caulium etiam per nares attractus ad hanc rem utilis est, vel caulis betæ. Aut radix ireos vel cyclaminis in figuram pyramidis formetur, aquæ majoranæ immergatur filo alligetur, & in nares indatur.

LXIII.

Ex iisdem fiant & gargarismi & ex aliis, ut hyssopo, ruta, thymo, origano, salvia stæchade quibus addi potest aliquid agarici & oximellis vel simplicis vel compositi.

LXIV.

Etsi quidem frigidus & humidus sua naturâ humor sit pituita, & propterea calida medicamenta indicare videatur: tamen aliquando vel propter præsentem febrem, vel humoris extraneum calorem, ex putredine, vel ex mistura alterius calidioris humoris contractum, utimur vel frigidis vel non admodum calidis, ut syr. viola. solut. simpl. & compos. rosa. decocto florum & fructuum, electuar. rosat. diaphæn Ind. Mesuæ.

LXV.

Quod si vero destillatio nimium acris, calida, vehemens corrodensque sit, cum tussi aspera, vigiliis continuis & suffocationis periculum imminet, de sistendo catarrho cogitandum est; modo cum stipticis, ut bolo armeno, spica, olibano: modo cum his quæ à proprietate incrassant, ut julebo violaceo, zaccharo viol. penidiis, diatragacantho loch de papavere, diacodi liquido, pilulis bechicis, modo cum gargarismis ex aq. ros. aceto, sandaraca & pilulis de cynoglossa.

LXVI.

Si tenuis nimis & frigida fuerit, decoctiones, pilulæ, pastilli & alia parentur ex olibano. thure. mirra. sandaracha. croco. gummi arabico. amy-

LXVII.

In omni catarrho multum astringendo valet, saccharum rosatum cum bolo armeno, diatragacantho & penidio, diaolibanum cum aq. plantag. in introitu lecti, in materia calida; in frigida cum aq. hyss. pill. de styrace de cynoglossa.

LXVIII.

Postmodum materia præsiidiis conveniencibus evacuanda, & à partibus nobilioribus ad ignobiliores derivanda.

LXIX.

Fiant ergo diversiones per clysteres, per lotiones extremorum, per frictiones & ligationes eorundem, ut & per cucurbitulas.

LXX.

Galenus m. m. c. 14. in catarrho falso ad pulmones fluente cum metu exulcerationis medicamentum ex tapsia cum fimo columbino, futuræ coronali applicat, revulsionis causa, ut materia sursum retracta insensibiliter evacuetur.

LXXI.

Etsi divertentibus & catarrhum intercipientibus ipsi quoque parti recipienti consulatur; tamen & utile est, ipsam partem recipientem confirmare per astringentia, quibus expultrix roboratur, ut non solum non admittat materiam à capite affluentem: sed & repellat. Talia sunt rosæ, balauſtia, plantago, myrtilli, bolus armenus, nuces cupressi & similia, pro partiū varietate alio atque alio modo exhibita. Pectori tamen & pulmōni astringentia non conveniunt, præsertim postquam materia influxerit, quoniam nullo modo in pectore retineri, sed rejici debet.

LXXII.

Ubi vero destillatio in parte recipiente fixa, morbum peculiarem generat, in oculo ophtalmiam, in alia parte alium, peculiare illorum morborum curationes requiruntur,

LXXIII.

Est cum nō satis sit medico præsentium morborū causas abscindere; sed & futuros respicere oporteat: non solum de alterantibus quatenus purgationi inserviunt; sed etiam quatenus capitis virtutem totiusque corporis roborant nobis est agendum. Horum vero cum quædam supra fuerint enumerata, ex multis pauca quædam in medium proferre sufficiat.

LXXIV.

Præter ea autem conferunt, theriaca & mithridatica antidotus, diamorphum, diambra, diamargarita, diagalanga, aromaticum rosaceum, garyophyllatum, dianthos, conserva betonicæ, oleum succini, saccharum rosaceum, myrobalani conditæ, diatrion santalon, diarrhodon abbatis, ligni aloes, terra sigillata, cornu cervi, monocerotis, margaritæ, coralli. Lapidis prætiosi, granati, sapphiri, hyacinthi, rubini, smaragdi, Jaspides, hæmatitides.

LXXV.

Hæc si chymico artificio elaborata, à fœcib. terrenis elicitæ, & quasi carcere liberata fuerint, magna spe boni successus & sanitatis tam præservandæ, quàm recuperandæ exhibebuntur, præsertim ex auro, argento, cupro & chalibe, ex quo pulvis sub croci Martis nomine, & oleum ejusdem utilissimum prædicantur inter alia.

LXXVI.

Diæta sex rerum non naturalium usu absolvitur. Aer sit temperatus. Cibus & potus parcissimus, concoctu facilis & boni succi paucique excrementi. Cœna sit parcior prandio. Vinum vitetur, generosum præsertim quod caput petat, materiam deferat & sua caliditate attrahat. Post etiam neque legere neque scribere jubet Celsus lib. 1. c. 5. Somnus sit moderatus neque longus nec diurnus motus item animi & corporis sit parcus & tempestivus. Alvus quotidie subducatur, si non naturâ, arte fiat, ut jusculo aut alio simili, quorum catalogum recensere thesium ratio non videtur admittere.

LXXVII.

Atque hæc de catarrho omnium morborum scaturigine, crassâ minervâ dicta sufficiant. Deo ter Opt. Max. sit laus, honor & gloria, in sempiterna secula.

F I N I S.



